



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

106. Justitiæ & æquitatis &c. Indultum Fratribus Missionariis Ordinis  
Minorum Sancti Francisci de observantia Reformatorum nuncupatorum  
concessum, ut post servitium, seu Ministerium in Missione ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](#)

ANNO  
1721.

pacificè frui, potiri, & gaudere: Non permitentes eorum aliquem defuper per locorum Ordinarios, seu alios quoscumque quomodolibet indebet molestari, perturbari, & inquietari, Contradictores quoslibet, & rebelles per sententias, censuras, poenas Ecclesiasticas, ac etiam pecuniaris illorum arbitrio imponendas, & applicandas poenas, aliaque opportuna iuris remedia, appellatione postposita, compescendo, ac censuras, & poenas praedictas, legitimis super his habendis servatis processibus, etiam iteratis vicibus aggravando, & regravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogat qui-  
buscumque  
contraria.

§. 30. Non obstantibus omnibus, & singulis, qua prefatus Clemens Pradecessor in predictis suis literis decrevit non obstat, qua Nos pariter, ac iterum non obstat discernimus, & mandamus, quibus omnibus, quoad ea, quæ praesentibus aduersantur, illis alias in suo labore permanfuris, ad premisorum effectum harum serie specialiter, expresse, ac amplissimè, scientiâ, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus derogamus & derogatum esse volumus, ceterisque contraria quibuscumque.

Mandat fi-  
dem adhiberi  
transumptis.

§. 31. Volumus autem, ut ipsorum praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & figille Personæ in Ecclesiastica Dignitate constituta munitis eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud, ubique ab omnibus habeatur, que eisdem praesentibus haberetur si forent, exhibite, vel offensa.

Sanctio por-  
nalis.

§. 32. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, confirmationis, statuti, Decretorum, Ordinationis, voluntatis, sanctionis, Decreti, Mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc tentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigefimo primo, vii. Idus Maii Pontificatus nostri Anno Primo.

P. Card. Prodatarius. F. Card. Oliverius.

Vita de Curia I. C. Archiep. Amasenus.

L. Martinettus.

Quæ sequuntur, sex Brevia, & unica Bulla extra tempori ordinem posita sunt, quoniam ad Collectoris manus serò nimis pervenerunt, postquam scilicet nemus reliqua omnia Brevia, & Bullæ, verum etiam plura secunda Partis Operis folia typis impressa jam fuerant, adeoque congruus illis, justusque inter alia locus assignari non potuit. Satius porrò viuum est eadem septem Diplomata hic utcumque inferere, ut posteris nota fiant, quam eam cum Eruditorum querela à praesenti Collectione prorsus excludere, atque silentio preterire.

## INDULTUM

ANNO  
1704.  
CVI.

Fratribus Missionariis Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum concessum, ut post servitum, seu ministerium in Missione Aethiopæ per duodecim annos Sacrae Congregationis Propagandæ Fidei laudabiliter praestitum, si ad suas proprias dicti Ordinis Provincias redire velint, revisi omnibus privilegiis, & prerogativis, quibus Fratres ejusdem Ordinis, qui Ministri Provinciales fuerunt, fruuntur, & gaudent, frui, & gaudere possint, ita ut inter ipsos, & alios Exprovinciales servetur æqualitas, & quod præcedentiam sola Paternitatis prioritas, seu anterioritas attendatur.

## CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Ustitia, & æquitatis ratio postulat, ut Operarii in Vineâ Domini strenuè, utiliterque laborantes premiis, & honoribus decorentur, quibus, & ipsi ad constanter in suis laboribus perfundendum, & aliis ad ejusmodi labores alacriter subeundos stimulentur. Cum itaque ( sicut accepimus ) Fratres Missionarii Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum in Aethiopiam pro tempore deputati, sive illuc ex Europa se conferendo propter itinerum per aspera, & deserta loca, montesque agendorum difficultates, & pericula, sive ibi commorando, propter immodosum illatum Regionum calores, & diversi climatis, ciborumque insalubrium qualitates, eorum naturæ contrarias maximos labores sustineant: Quo vero eorum animi ponderi non succumbant, & in suscepis pro Catholicæ Fidei, Christianæque Religionis propagatione laboribus hujusmodi confirmarentur, & defessi, seu mercedem emerit novi semper, & alacres strenuerint succedant, spe alicuius honoris & præmii sublevandi, & excitandi sint. Hinc est quod Nos ex commissa Nobis celetius dispensationis munere illorum honorificentæ consulere volentes de nonnullorum ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregacionis negotiis Propagandæ Fidei præpositæ super rebus Aethiopæ specialiter deputatorum consilio, ac Motu proprio, & ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, dictis Fratribus Missionariis, ut post servitum, seu ministerium in Missione Aethiopæ per duodecim annos dictæ Congregationi Cardinalium perseveranter, & laudabiliter praestitum, si ad suas proprias dicti Ordinis Provincias redire voluerint, reversi omnibus, & singulis privilegiis, prerogativis, præminentibus, & prædentiis, quibus Fratres dicti Ordinis, qui Ministri Provinciales fuerunt, tam de jure, usu, & consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere possunt, & poterunt in futurum, par modo, & absque ullâ prorsus differentiâ uti, frui, & gaudere liberè, & licetè possint, & valeant in omnibus, & per omnia, perinde ac si Provincia latus munere perfundi tuiscent, ita ut inter ipsos Fratres Missionarios, ac Exprovinciales servetur æqualitas, & quod ordinem præcedentiae sola prioritas, sive antiquitas Paternitatis attendatur, tenore præsentium, concedimus, & indulgemos. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces exstire, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit,

in-

ANNO  
1704.

in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari: Sicque, & non aliter in premissis per quo cumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, ejusque Provinciarum etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Confucitudinibus, privilegiis quoque, indulxit, & literis Apostolicis in contrarium p̄m̄ssorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum inseritis habentes, illis aliis in suo robore permanens, ad p̄missorum effectum hā vice dumtaxat specialiter, & exp̄s̄ dergamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Roma apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris Die II. Januarii MDCCIV. Pontificatus Nostri Anno quarto.

F. Oliverius.

C V I I.

## CONCESSIO

Vineæ in loco Pariolo Sacrae Congregationi de propaganda Fide, & fundatio Alumnatus pro Juvene Nationis Epiri, seu Albaniae ab eadem Congregatione nominando.

CLEMENS PAPA XI.

Urbis motu proprio.

Exordium sum à bona valetudine Juvenum in Collegio commorantium procuranda.

Narrat Collegii fundationem.

Exponit necessitatem emendi aliquem locum Suburbanum pro hoc effectu d. Juvenum recreatione, ducto exemplo ab aliis Urbis Collegiis.

Cum in iis, quæ ad Divinum Cultum, Sanctamque Catholicam Religionem ampliandam, conservandamque pertinent, non tam operis intentum, quam illius firmitas, perpetuitaque stetenda sit; Nos præcipuas muneras nostri partes esse intelligimus, nedum spiritualibus Piorum institutorum ad id tendentium incrementis peculiari studio adniti, verum etiam temporalibus illorum commodis, & tranquillitatibus prospicere, quos Divina Bonitas ad Sacrum Evangelice Prædicationis, Fideique propaganda Ministerium adlegit, ut tamquam digni Operarii in Agro Domini, cum tempus Missis advenierit, strenue, utiliterque laborent, & uberiorem in finu Ecclesiæ fructum, Deo benedicente, deponant.

J. 1. Sanè licet felicis recordationis Urbanus Papa Octavus Prædecessor noster per quadam suas literas Apostolicas optimo quidem consilio Collegium, seu Seminarium Apostolicum Pontificis Pastorale Urbanum nuncupatum pro exceptiendis, & alendis Sacerdotibus secularibus, & etiam Clericis, ad Majores tamen Ordines infra certum tempus promovendis, bonis Moribus Pietate, & sana Doctrina præditis, ex omni gente, & Natione desumendis, ad effectum Fidem Catholicam, & Apostolicam in Partibus Infidelium, toroque Terratum Orbe, etiam cum eorum Vitæ discrimine, si opus foret, propagandi, & dilatandi, eamque tuendi, & conservandi in iis locis, ubi jam sata reperitur, exeretur, & instituerit, aliaque statuerit, decreverit, & ordinaverit pro felici gubernio Collegii, seu Seminarii, & Alumnorum hujusmodi, ut in prædictis literis super hoc editis pleniùs, & uberiùs continetur: Experiens tamen compertum est Juvenes istos ex longinquis, ac etiam extremis Mundi partibus ad idem Collegium, seu Seminarium accedentes, Cœlique qualitate, ac Vitæ etiam ratione inter se ma-

ximè diversos, ex assidua in studiis, ac piis exercitiis occupatione, quibus eorum natura afflcta non erat, graviter affici, & paulatim exinde contractarum ægritudinum causa, aut præmaturè decedere, aut inhabiles ad labores in missionibus sustinendos evadere, quod non accidit Germanici Pontifici, ceterorum similium Collegiorum à clara mem: Gregorii XIIII, alisque nostris Prædecessoribus Romanis Pontificibus erectorum Alumnis, quorum levamini, quieti, & tranquilitati provide consultum est de aliquo ad amēnitatem factō loco, ubi vacationum tempore, vel statutis horis intermissione studio honestæ recreacionis causa conveniunt.

J. 2. Hinc propterea Congregatio Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanae Ecclesiæ Cardinalium Negotiis Propagandæ Fidei præpositorum, quæ cogitare, & agere nunquam desinit ea, qua primo dictorum Collegii, & Alumnorum bono profutura cognoscit, emptioni alicuius similis loci, seu Vineæ proprie, & extra Mænia Urbis, ubi Juvenes prædicti sanitatis, vel oblationis cauſa, quandoque recreari, & vires recipere valerent, pluribus ab hinc Annis studiosè incombūt, & Nos postrem ab hinc effectum scuta quatuor milie monetae Romanae obtulimus, ut ipsa Congregatio tot expensis Missionum prægravata ab hujusmodi incommodo sublevaretur, sed re ob enascentes paſſim difficultates huc uque protracta, nam ubi inventa est oportunitas loci, & salubritas aeris, desuit uelutina Dominorum proprias Vineas alienare renuentum, & ubi prompta erat occasio, deficiebat qualitates ad indigentiam exoptatae. Dilectas tandem Filius Noster Petrus Sancti Laurentii in Damasco nuncupati Sanctæ Romanae Ecclesiæ Diaconus Cardinalis Ottobonus nuncupatus ejusdem Sanctæ Romanae Ecclesiæ Vice-Cancellarius, atque unus ex Cardinalibus præfatae Congregationis, adeo utilis, & salutaris deliberationis effectum ulterius differri non patiens, menti, ac intentioni nostræ, & dictæ Congregationis auctoritatem, nec non Zelo propagationis Sanctæ Fidei, & conservanda bona valetudinis Alumnorum ad munus Apostolicum Divina favente gratia vocato um duximus, Vineam in Contrada Parioli in eminentiori situ extra muros, prædictæ Urbis positam aeris saluberrimi cum Palacio, & aliis mansionibus de pertinetis Monasterii Abbatiae nuncupatae Sancti Laurentii extra Muros prædictæ Urbis Sancti Augustini Canonorum Regularium, seu alterius Ordinis, cuius ipse Petrus Cardinalis Abbas, seu perpetuus Commendarius ex Commenda ad sui vitam de prædicto Monasterio eidem Petro Cardinali alias Apostolica auctoritate facta existit, sponte, obtulit, & re ipsa Vineam prædictam in Manibus Nostris sponte, & liberè oretenuit dimisit, cum reservatione tamen favore Abbatis, seu Commendarii pro tempore existentis dicti Monasterii, ne eidem Monasterio ex dimissione prædicta magna inferatur præjudicium, alicuius perpetui Canonis, seu annuae responsionis, & cum aliis conditionibus Nobis benevisis, & dicto Monasterio utilibus.

J. 3. Nos itaque, qui primodiicti Collegii, & Alumnorum ejus, quorum de presenti numerus, comprehensis aliquibus Juvenibus Suecæ Regni, ad quadraginta septem, ut accepimus, ascendit, statum prosperum, & tranquillum intensis desideramus affectibus, ob laboriosum, quem ipsi in Vineæ Domini præstituti sunt, famulatum, & propter uberes fructus, quos in Agro militantis Ecclesiæ haecenus produxerunt utiliter, ac producunt, & in futurum producturos summa spe tenemus ut iudem promptiores semper, alacriore que ad sua officia in dies persolvenda, reddantur, dignum

ANNO  
1708

Oblatio feitorum 4000.  
ad hunc finem à Sanctitate Sua facta.

Cardinalis Ottobonus obtulit Vineam, eamque in manibus Sancti dimisit.